(31)

VICTORIA

Auguſtiſſimi Magnæ Britanniæ, &c.

REGIS

Gulielmi Tertii,

Qui Urbem & Arcem

NAMURÆ,

A Gallis occupatam, fortiter obſedit, & feliciter recuperavit, expulſo Gallorum præſidio.

LONDINI:

Anno Domini, 1695.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

AD

Nobiliſſimum Illuſtriſſimumque

JOANNEM

Magni Sigilli cuſtodem, &c.

MUlti fortaſſe mirabuntur, vir illuſtriſſime, quod tibi, viro in tam ſublimi dignitate collocato, hunc libellum tam exiguum dedicare non dubitaverim: Sed cum res tractet adeò præclaras, illum omninò viro honorifico Inſcribendum judicavi: Quin imo ſub cujus nominis patrocinio potius, quam tui, poema hoc de Victoria Auguſtiſſimi magnæ Britanniæ, &c. Regis Gulielmi *Tertii, in lucem ederem? quum te ille ſingulari favore proſequatur, quod multis præclaris indiciis demonſtravit: Nam te magni ſigilli cu-*

stodem creavit, tibi munera officii sui regalis, se absente, obeunda commisit, adjunctis tibi sex aliis viris perspectæ in Regem fidei, & in patriam amoris; quanquam vix ulli ex hoc præclaro septemviratu aliter mihi quam fama noti sunt, excepto teipso, & Illustrissimo Comite Pembrokiæ, *viro omni literatura expolito, nec minus virtute & morum suavitate, quam genere & natalibus illustri, qui me plusquam semel aut bis familiari dignatus est alloquio, & egestatem meam multoties munificè sublevavit. Certe magna gaudendi causa est Omnibus bonis, quod tibi bonitate, eruditione & prudentia tam præclaro & insigni tanta obtigit autoritas; qua pios foveas, impios coerceas, egenos subleves, & latè in omne genus hominum bonitatis & virtutis tuæ documenta diffundas; juxta illud* * *Solomonis proverbium, Cum bene est justis, Civitas lætatur: Nec silere possum insigne virtutis & pie-*

* Prov. 11. 10.

tatis

*catis tuæ specimen, quod nuper edidisti, cum illum ipsum diem dominicum, quo publica gratiarum actio imperabatur, propter victoriam nuper partam, vulgus, quod in vitium flecti cereum est, impia profanatione fædare parabat, nisi tua illos coercuisset autoritas. Jeohova est Deus sanctus & zelotes dixit * Joshua Israelitis, si deseratis Jehovam & serviatis diis alienis, ille convertet se, & nocebit vobis, postquam vos beneficiis prosecutus est. Nonne si tale flagicium fuisset illo die commissum, expectanda erat vindicta cælitus depluenda cum in autores tum in permissores tantæ impietatis? Idciro gratias tibi agunt omnes pii quod autoritatam tuam tam piè & prudenter & opportunè exercuisti. Vir illustrissime, humanitas & benignitas tua jamdudum mihi multis experimentis perspecta, spem fecit te meam hanc audaciam boni consulturum. Faveat tibi De-*

---

* Josh. 24. 20.

us omnipotens & multa te in hac vita felicitate accumulet, & post hanc vitam sempiternis in Cælo præmiis coronet.

Sum servus tibi
devinctissimus,

G. Hogæus.

A D

Nobiliſſimum Illuſtriſſimumque

JOANNEM

Magni ſigilli cuſtodem, Anglicanæ gentis & nobilitatis Ornamentum, patriæ Columen, bonorum ſolatium, malorum terrorem, Omnis pietatis Virtutis & eruditionis patronum.

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ.

QUis laudes numerare tuas, quis carmine digno
Nomen ad aſtra tuum radiantia tollere poſſit?
O ſæcli ſtupor atque decus, cui vivida virtus
Poſt diadema locum tribuit regale ſecundum.
Ingenium Cæleſte tuum velocius annis
Progreditur, lentæque pati diſpendia neſcit
Ulla moræ. Subitis volitavit in ardua pennis,
Donec ad hunc ſcandendo gradnm pervenit honoris,
Quo nihil inſano vel cæca ſuperbia faſtu
Celſius expectet, vel mens moderatior optet.
Hæc meritis venêre tuis: Nam quamlibet ortum
Ducis honoratæ generoſo à ſtemmate gentis,
Tu genus & proävos, & quæ non feceris ipſe

Hæc

Hæc tua vix dicenda putas. Majoribus altis
Præluces, generique novum superaddis honorem.
Atque hinc regalis tibi leniter aura favoris
Afflat, & hinc pariter proceres te & vulgus adorant.
Omnibus hinc alis te Rex te præficit unum,
Et tibi ducendas populi commisit habenas.
Ingenii virtute tui, turique fideli
Nititur, ad nutusque tuos Regnum omne ministrat.
Sic Pelusiacis quondam Josephus in oris
Sub Pharaône bono imperii retinacula rexit,
Arbitrio dans jura suo per rura, per Urbes.
Justitia viduis, pueriſque parentibus orbis
Auxiliare tua, nec vi nec fraude potentes
Insultare finis tenui trepidóque clienti.
Exhilaras pietate bonos, & acumine doctos,
Munificáque manu miseros, patremque salutant
Pierii te turba chori. Genus omne virorum
Te celebrant, gaudentque tuas diffundere laudes,
Et te Nestoream cupiunt superare senectam.

Libenter obtulit

G. HOGÆUS.

A D

A D

Augustissimum Magnæ Britanniæ, &c.

REGEM

Gulielmum III.

POST

VICTAM NAMURAM,

ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΙΚΟΝ.

NUper ego tacitus segni in squalore jacebam;
Nunc animum novus ardor agit; flammâque recenti
Mens furiata novos gestit cantare Triumphos;
Et laudes, Gulielme, tuas, bellique labores
Altisonâ celebrare tubâ. Quo scandere tento?
Nec Phaëtontææ timeo mala fata ruinæ?
Sed Musâ stimulante trahor. Quid martia mundi
Heroas, Regina, tuos, Roma inclyta, factas,

Scipiadas, Curios, Marios, fortemque Camillum?
Hos omnes ſplendore ſuæ virtutis obumbrat
Heros Naſſovius, velut omnia ſydera Titan,
Dum meliore novas acquirit nomine palmas.
Huic etenim Deus, ætherii regnator Olympi
Dexter adeſt, tutumque ſui munimine Scuti
Præſtat ubique, trucem quoties violentus in hoſtem
Irruit, & qua tela videt denſiſſima tendit
Acer equo; nam pro populis non ulla Britannis
Fata fugit. Mediis Poenorum qualis in arvis
Jejunus movet arma leo, gaudetque comantem
Excutiens cervice jubam, & fremit ore cruento
Impavidus, ſic ille ruit mucrone minaci
Tela inter media, atque inimica per agmina præceps.
O magno dilecte deo, tibi militat æther,
Atque tuæ Angelicæ veniunt ad claſſica turmæ,

Inſtanteſque

Instantesque tibi depellant undique mortes.
Hinc sacrum violare caput pavefacta recusant
Fulmina, Sulphureæ impulsu volitantia flammæ.
Ferrea grando tuas innoxia transilit aures.
O quoties dextrâ qui proximus atque sinistrâ
Qui stetit, ictus obit subitò, & pœne obruit ipsum
Fulminei vis sæva globi? *Sic pœne cadebat,
Ishbibenobe, cui trajectus vulnere ferri
Sanguine Jessæo genitus, ni in tempore ferret
Armipotens Abisæus opem, qui te, licet ortum
Stirpe gigantæa, valido mox ense ruentem
Dejicit, & multâ porrectum extendit arenâ.
†Haud aliter rapidæ quondam patientia flammæ
Corpora terna virûm, Assyria in fornace jacentum
Facta fuêre, in quos ignis nil juris habebat:
Æternoque dei nato comitante triumphant

* 2 *Sam.* 21. 15, 16, 17.
† *Dan.* 3. 24, 25.

Ignibus in mediis læti, celebrantque choreas,
Ceu pedibus pulchri premerent viridaria prati.
Tu quoties in bella ruis, victoria gressus
Antevolat, Gulielme, tuos, Regisque perennis
Numine perrumpit florentes ære phalanges,
Altáque turrigeri subvertit culmina muri.
Ipsa Namura ruis obsistere viribus, etsi
Illam hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingant,
Non poterat; prostrata graves dedit illa ruinas
Milite cincta tuo, requiemque capessere nullam
Sustinuit. Gallis adeò trepidantibus instas,
Urbem ut sponte tibi linquant, & in arce tegantur.
Arx tamen ipsa nequit requiem concedere fessis,
Sic tu fulmineis illam, licet undique firmam,
Nocte dieque globis labefactam à sede revellis.
Interea dubii metuens discrimina belli

Ignavus

Ignavus Lodoicus abest, semotus ab omni
Armorum strepitu, atque ducum dum facta suorum
Arrogat ille sibi, falsæque cupidine famæ
Uritur, exornans alienis corpora plumis,
Armat, & armata emittit centena virorum
Millia, qui spatium Flandræ telluris inundant,
(Sic vanos generare metus sperabat) & hosti
Ante expectatum, positis & in agmine castris
Stant propius, jamq; arma tenent, pugnamq; minantur
Sanguineam. Sed nulla tamen stratagemata possunt
Gallica magnanimis terrorem inferre Britannis
Angligenis Scotisque, unitis viribus arcem
Dum quatiunt simul, & magnâ nituntur opum vi.
Sint licet adversæ numero majore catervæ,
Ipse etiam Gulielmus adest, animosque Britannis
Addidit, & sociis sacrato fœdere junctis,

Ense

Enſe minaq; vultuque ferox, in utrumque paratus,
Arcem igni jaculiſque petens, & communis hoſtis
Obvius ire paratus: Hæc agmina Gallica ſpectans,
Nec licet obtentum ulcerius cohibere timorem,
Sed ſenſim revocantque pedem, timidéque recedunt;
Hinc pavor obſeſſos adeo circumtonat hoſtes,
Virtutem, Gulielme, tuam, ſociumque ſtupentes
Ut tibi conceſſis ſimul urbe atque arce Namuræ,
Sanguinei que ſola fuit ſpes maxima Galli,
Cogantur miſeram pacti diſcedere vitam,
Cumque pudore gravi redimant breve dedecus ævi
Ergo Jacobitæ cur ſpem lactatis inanem
Amplius? urbs, rabidi robur tutelaque Galli
Maxima que fuerat, nunc à meliore tenetur
Principe. Perge igitur, Gulielme, invadere Gallum
Nam latè patefacta via eſt, nihil obſtat euntí.

Perge,

Perge, nec ulla tuos teneat mora lenta Triumphos,
Persequere attonitum ferro flammaque tyrannum,
Ante tuos dum spontè pedes procumbere cogas,
Subjiciatque tibi sese quasi vile scabellum.
Sola Natura, tuis poterat quæ obsistere cœptis,
Succubuisse tibi gaudens, tua jura recepit.
Sed tamen ante tuum redeas invisere Regnum,
Aspectúque tuo populum, vultuque Britannum
Lætifica, qui te, quasi rursùm à morte reductum
Accipient. Proh quanta animos formido piorum,
Quantus ubique pavor tenuit, rumoribus omnem
Quando Jacobitæ falsis fremuêre per urbem;
Occidit ante diem subito Rex vulnere victus!
In tenebris flevêre pii, vulgusque malignum
Extulerat caput, atque altâ cervice vagatur,
A Batavis donec rediens bona fama remotis,

Gaudia

FINIS.